

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput IX. De anniversario ejusdem domnae abatissae.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Suavitas
amoris in
filiabus
permaneat.

in terris. » Ad quod illa : « Hoc feci, et sine intermissione facio. » Et ista : « Quid eis vis demandare? » At illa : « Ut suavitas amoris, qui manet in intimo cordis mei etiam maneat in cordibus et sensibus earum. » Hinc ista subjunxit : « Quid tibi donatum est in primo ingressu cœli? » Respondit : « Dominus Deus, creator, Redemptor et amator meus, me in seipsum suscipiens, inæstimabili me lætitia adimplevit, seque ipso me vestivit, atque cum semetipso cibavit, seque ipsum mihi dans in sponsum, inenarrabili me honore glorificavit. »

CAPUT IX.

DE ANNIVERSARIO EJUSDEM DOMNÆ ABBATISSÆ.

Resurrectio-
nis pigrus
in gloria
humanitatis
Christi.

In anniversario ejusdem prædulcis memoriæ Domnæ Abbatissæ, cum ad ejus Vigiliis Responsorium *Redemptor meus vivit*, cantaretur, hæc soror ejus vidit animam ipsius inæstimabili gaudio et delectatione Dominum Jesum amplectantem et eadem verba dulcissime decantantem; agnovitque divinitus quod animæ in cœlis inæstimabili gaudio de Christi humanitate exultant, et quoties in terris homines intente hæc verba, vel aliud quid de futura eorum resurrectione cantant, statim inedicibili resultant gaudio, videntes ipsam veritatem in glorificata Christi humanitate; certi quod ipsi etiam resurgent; orantque pro iis qui hæc psallunt in terris, ut illam felicitatem etiam ipsi digne consequi mereantur. Agnovit etiam quod dum homo hæc verba devote profert, exinde per fidem corpus suum sanctificatur, ut dignius hac gloria perfruat.

Post hæc vidit iterum quasi Deus Pater ad mensam regiam

1. Pars prior hujus capituli, utpote laudem B. Mechtildis extollens, in Parte V. cum duobus aliis pariter additis ante caput, *De laudabili conversatione hujus Virginis* a quibusdam editoribus inserta est.

cum anima illa sederet, dulcissimis et amantissimis ei blandiens verbis et gestibus, ac si hoc solum esset ejus gaudium et deliciae cum anima taliter epulari. Dominus autem Jesus velut imperialis juvenculus, balteo praecinctus, ad mensam illam diversa fercula condita Spiritus Sancti dulcedine ministrabat. Singulae etiam personae de Congregatione cum processione venientes, in magna reverentia flexis genibus, pyxides eburneas, argenteas et aureas odore mirifico refertas offerebant. Illae, quae cordis munditia eminebant, pyxides eburneas deferebant, et quae in Dei servitio plus aliis laborabant, argenteas habebant; quae vero amoris fervore caeteras praebant, aureas pyxides attulerunt. Multitudo quoque animarum cum gaudio supervenientes, pro sua liberatione Deo et animae ejus cui Dominus eas donaverat ad sui festi gloriam, magnifice gratias retulerunt. Deinde omnes suae Congregationis animae, tam Fratrum quam Sororum, in modum choreae circa eam se gyrabant, inter quas animam unius Fratris, qui eodem anno decesserat, vidit in stola candidissima, desuper miro et vario adornatam decore; per quod intellexit designari suam benevolentiam; quia valde benigni fuerat cordis, ad omnia bonam gerens voluntatem¹. Ducentes autem choros, jucundissime psallebant dicentes: « O mater nostra, etc. » De Corde etiam Domini Jesu tuba magna exibat, in quam omnium vocum sonus dulcissima modulatione transibat.

Sequenti vero die, cum pro anima ejusdem Missa celebraretur, incidit menti ejus tale desiderium: quod si esset praepotens regina, auream imaginem optime vestitam et ornatam pro anima dilectae sororis suae ad altare Deo vellet offerre. Cujus cogitationi protinus Dominus hoc dedit responsum:

1. Per hanc designari videtur Frater Seg. propter easdem animas dotes commendatus in *Legatus* lib. V. c. 14.

Oblatio
diversa
pro anima.

Dominus
Mechtildi
pro Sorore
sua se offert.

« Et quid si hoc desiderium tuum modo per memetipsum compleam? » Apparuitque statim Dominus stans coram ea in specie juvenis regio, imo divino, splendore coruscus, et ait: « En accipe me, et juxta omne desiderium tuum me offer. » At illa ineffabili gaudio et gratitudine eum circumplectens, ducebat secum ad altare. Dominus autem Jesus semetipsum Deo Patri obtulit cum omnibus virtutibus suis, in augmentum perfecti decoris animæ illius, et cum gaudio, dulcedine et amore divini Cordis sui, ad gaudium et beatitudinem ejus sempiternam.

Da cor
tuum amanti
totum.

Post hæc anima illa felicissima, velut regina, et sui sponsi potens effecta, in amplexus Dei amantissime ruens, ipsum ad singulas Sorores per chorum circumducebat, dicens ad singulas: « Accipite Dominum virtutum, et petite ab eo virtutes. » Tunc illa quæ hæc videbat, dixit ad eam: « Mi soror carissima, quid maxime a nobis desideras observari? » Quæ respondit: « Humilem subjectionem, amabilem in invicem charitatem, et fidelem ad Deum in omnibus intentionem. » Et adjecit: « Eia, da cor tuum amanti totum, et omnes amanti homines: tunc amor Dei et omnium qui unquam Deum dilexerunt, totus tuus erit. Similiter si humilis es, humilitas Christi et omnium qui se pro ejus nomine humiliaverunt, vere tua erit. Et si misericordiam proximo feceris, Dei misericordia et Sanctorum ejus etiam tua erit; et sic de aliis virtutibus esse scias. »

QUAPROPTER SIT DEUS BENEDICTUS

IN DONIS SUIS ET SANCTUS

IN OMNIBUS OPERI-

BUS SUIS.

AMEN.

EXPLICIT PARS SEXTA.